

DISQUISITIONIS LOGICÆ  
DeINTERPRE-  
TATIONE  
PHILOSOPHICA

Pars Prior

Quam

*Suffragante Amplissima Facultate Philoso-  
phica in illustri Athenæo Aboensi*

Sub PRÆSIDIO

*Max. Rev. & Ceteri, VII.*

M. JOH. HAARTMAN

Log &amp; Metaph. Prof. Reg. &amp; Ord.

*ad publicum honor. examen modeste defert*

ad diem Deo volente 9. Febr. 1734.

PETRUS ROSBECK

*Smol. Svecus.*

A B O Æ,

Exc. Joh. Kiämpe Reg. Acad. Typ.

*Ex Libris*

S:æ R:æ M:ris  
MAGNÆ FIDEI VIRO

*Reverendissimo*

*PATRI ac DOMINO,*

**DN. GUST. ADOLPHO  
HUMBLE,**

**S. S. Theologiæ DOCTORI, inclutæque  
Diœceseos Wexionensis EPISCOPO Ce-  
leberrimo, Ven. Consist. PRÆSIDI Gra-  
vissimo, Gymnas. Scholarumque EPHO-  
RO Adcuratissimo,**

**MÆCENATI MAGNO.**

**S**i pluribus interpretari jam conarer  
singularem illum favorem, quo sinu-  
los in castris musarum strenue militantes,  
presertim eos, quibus cum durioribus sem-  
per fatis luctandum fuit, amplecti soleas,  
mihi nisi vanum proderem animum, cum  
vudis

rudis mea Minerva huic rei expediunda non  
sit sufficiens; neque tamen intermittere  
queo, quin lucubrationes hasce exiles in  
venerationis devotissima signum atque te-  
stimonium, Nomini Tuo Reverendiss. Præ-  
sul consecrare pergam; prece supplici, ut  
in clientulorum Tuorum numerum me quo-  
que accenseri patiaris, spesque meas at-  
que fortunas Gratiae Tuae habeas commen-  
datas, quo mihi etiam sub Tanto latius  
degere vitam liceat patrocinio. Arden-  
tissima nunquam non ad summum Numen  
fundam suspiria, ut tantum, tamque splen-  
didum afflicta ecclesia nostra sidus sero oc-  
cidere jubeat. Perseveraturus quoad  
vixero

Reverendiss. Nominis Tui.

Cultor devotissimus  
Petrus Rosbeck

*Max. Rever. atque Amplissimo*

DOMINO

**OLAO OSANDRO,**

S. S. Theologiæ DOCTORI, & Archi-  
Præposito Diœceseos Wexionensis incli-  
to; Ven. Consist. ibidem Adfessori  
Primario,

PATRONO OPTIMO.

*Admod. Reverend. & Præclarissimis*  
*Reg. Gymnasii Wexionensis Theologiæ &*  
*Philosophiæ,*

**LECTORIBUS**


dexterrimis,

Promotoribus atatem Venerandis.

**P**agellas hæc, ceu venerabundi &  
gratissimi animi lætæque ob plurima  
in se collata beneficia, dicare etiam  
sustinuit

Max. Rever. Doct. atque Præclariss. No-  
minum Vestrorum.

*Indefessus cultor*  
**Petrus Rosbeck.**



§. I.

**N**on est vel in una quacunque re proposita, publice Philosophaturo factis, ut materiam ipsam reddiderit sibi notam, illamque intelligat; de illa distinctas foveat ideas; possit etiam de hac mutuo conferre notiones quasvis inter se; alias conjungere, alias disjungere; addita cuique etiam circumstantiæ ratione mentis idonea, sive probabili, sive apodictica. Nec sufficit, ut hæc omnia queat verbo uno vel plurib<sup>9</sup>, nunc popularibus, nunc technicis

2  
cis. apte aliis proponere atque  
communicare, five enunciatione  
aliqua simplici, five composita;  
five definitione aliqua perfecta,  
five imperfecta; five divisione  
aliqua adæqvata, five inadæqvata;  
facta demonstratione vel probabili  
vel necessaria: sed requiritur quoque,  
ut alios tam consentientes, quam  
dissentientes intelligat, illorumque  
sensa animi *recte interpretari* & ad  
examen revocare queat. Horologium  
ut sit bene instructum, & horas  
equaliter, & cursui solis convenienter  
habeat adaptatas, quas indice  
adposito, campanæq; pulsu, est  
curvis demonstrare paratum, nisi  
adsit qui illud ad usos suos  
revocet, signa intelligat, indicem  
dirigat, & quæ huc pertinent  
præcipua aliis declarare potis sit,  
inutile certe censetur. Idem  
dicendum de Philosopho  
qui

qui sibi doctus est, nec suæ ipsius  
mentis *interpretem* agere potest,  
nec in aliorum scriptis *interpre-*  
*tandis* vel censendis valet. Omni  
itaque nilu in id incubuerunt  
Logici recentiores, ut, quæ ad  
modum quemcunque sciendi fa-  
cerent, omnia curiose observa-  
rent. Neque enim de ideis tan-  
tum fuere solliciti, ut rebus es-  
sent conformes; easque idearum  
idoneis vocabulis vel terminis  
notas facerent; nec hujus vel il-  
lius rei iudicio simplici aut nudo,  
propositione affirmativa vel ne-  
gativa significato fuere contenti;  
nec dum in iudicio hinc vel in-  
de illato, & vel syllogismo, vel  
definitione, vel divisione, vel  
etiam demonstratione iusta illu-  
strato substiterunt: sed ultra ar-  
cum intenderunt, ut scilicet sen-  
sa etiam animi cujusque *commo-*  
*de interpretari* possent, & de illis

4  
suam quoque addere epicrifin.  
*De interpretatione* veteres vel nihil vel pauca admodum habent Logici. Nec aliud affirmare queo de quibusdam recentioribus. Quocirca cum aliquod specimen studiorum meorum Acad. jam etiam mihi edendum esse senserim, mearum imprimis duxi partium *hanc partem* pro virili *Logica vindicare*, acturus de *Interpretatione in genere*. Interes candide Lector mihi ea, qua par est, modestia es exorandus, digneris levia hæcce, sed tamen innoxia conamina, benigna perstringere censura.

§. II.

**Q**Væ subfit ratio quod multi veterum atque recentiorum utilissimam logicæ partem, *de interpretatione* vel plane omiserint, vel paucis attigerint, non faci-



facile quis nobis' determinabit.  
Ingeniosissimus *Dns* *Christ. Thom-*  
*masius*, nullam aliam rationem red-  
di posse existimavit, quam quod  
iammus *Aristoteles* in libro suo  
*de interpretatione* non aliud tracta-  
verit, quam doctrinam *de Enun-*  
*ciatione & Propositione* prout eam  
videmus explicatam in libellis *Lo-*  
*gicis vulgaribus*. Putarunt illo  
iudice, adeo ingens crimen esse,  
& morte piandum, si quis ultra  
magistrum sapere velle cogitaret  
saltem ( ). Alii alias adsignarunt  
causas, vel potius conjecturas,  
quas omnes examinare non est  
nostri instituti. Sufficiat nobis  
jam duntaxat probasse, quod do-  
ctrina *de interpretatione* ad *Logi-*  
*cam* omnino pertineat: - pri-  
mum quidem hoc acutissimi *Dan-*  
*haber* invicto syllogismo; ex ejus  
idea boni interpretis: *Omnis mo-*  
*du*

(a) in *introd. ad Phil. aul. p. m. 231.*

*modus sciendi est pars Logices, modus interpretandi est modus sciendi: Ergo modus interpretandi est pars Logices. Aliud argumentum petimus ab ipso fine Logices; Quum enim intellectum nostrum ad omnis generis verum cognoscendum, ea dirigere debeat; nisi verum quoque sensum indagare doceret, haud ignobili profecto sui parte truncata compareret; ut loquitur Clariss. Dns Syrbius (b). Huc pertinent hæc Hilligeri: cum finis Logicæ sit, non tantum regulas præscribere veritatis inveniendæ & applicandæ: seu ex aliorum quoque scriptis opportune eruendæ & cognoscendæ, certe non in alia disciplina potiores traduntur regulæ, quam in Logica. (c) Notari etiam illud meretur, monente supra memorato*

*(b) in Instit. Phil. Rat. p. m. 362. (c) Inst. Eccl. Log. p. m. 172.*

rato *Dno* Christiano Thomasio,  
 quod cum Logica sit *instrumen-*  
*tum instrumentarius*; doctrina ve-  
 ro de interpretatione usum su-  
 um diffundat in *omnes partes Phi-*  
*losophiæ*, & *facultates superiores*,  
 maxime in *jurisprudentiam & The-*  
*ologiam*, quoniam ambæ hæ ver-  
 santur circa interpretationem le-  
 gum divinarum & humanarum,  
 non potest itaque Logica non  
 præscribere rationes, quomodo  
 quis verum sensum orationis ob-  
 scuræ à falso discernere debeat.  
 Adde ex Syrbio quod unumquod-  
 que argumentum ad unam so-  
 lam disciplinam, tamquam ad *se-*  
*dem suam propriam* referri debeat,  
 nisi vaga quasi & insulsa metho-  
 do tractare velis omnia: nulla  
 vero alia sit disciplina, quæ hanc  
 doctrinæ partem, jure quidem  
 vindicare sibi possit. Neque e-  
 nim pertinet ad *Philosophiam pri-*  
*mam*

*mum*, cum veritatem in *actū* *signato* ceu loquuntur scholastici, ut omnibus rebus in se & sua natura competit, non consideret; nec ad *Physicam*, seu aliam *Philosophiæ vel Theoreticæ vel Practicæ* partem, cum nulla harum disciplinarum sit *directiva*, vel doceat, quomodo in veritate inquirenda sit progrediendum; sed quæque pro re nata in *actū exercitō*, de veritate hujus vel illius rei cognitæ, hujus vel illius propositionis ut ad se pertinet, pertractet; nec ad aliam *Philosophiæ rationalis partem*, cum *Grammatica, Critica, Oratoria soluta atque ligata*, & quæ aliæ huc faciunt, superpetias ferant *arti Hermeneutica*, hæc ab illis subsidia aliquando requirat atque repetat jure quodam, quo invicem sibi obstrictæ videntur ad mutuas sibi tradendas operas. *Occup.* 1 Sunt qui urgent:

*inter-*

interpretandi doctrinam peculiarem  
 constituere disciplinam, cum sola Lo-  
 gica ad interpretis consumationem  
 ut loquitur Weisius (d) non suffi-  
 ciat; & ipsa Hermeneutica vide-  
 atur esse habitus complicatus, s. de  
 pluribus aliquid trahens & partici-  
 pans; sive ἀνόμοια quaedam plurium  
 disciplinarum directa ad finem pecu-  
 liarem, & quem nulla alia per se  
 intendit disciplina, scil. declaratio-  
 nem & probationem sensus, hujus  
 vel illius scripturae; ut facta de-  
 centi applicatione huc transfera-  
 mus, quæ habet Celeb. Dns Pfeif-  
 ferus. (e) Resp. Verum enimvero 1.  
 cognatio disciplinarum, non tollit  
 earum discrimen inter se; etiam  
 si 2. mutuas præbeant sibi invi-  
 cem operas, & qui 3. in una  
 tantum parte excellere cupit, ne-  
 cesse est sit imbutus, non super-  
 ficia-

(d) in Doct. Log. p. m. 387. (e)  
 in Theaur. Hermen. p. m. 20.

ficiaria aliqua cognitione in ce-  
 teris, neque tamen inde conclu-  
 dere licitum est, quod hæc vel il-  
 la sit *habitus complicatus*; sit *anop-*  
*posæ* quædam sive confluxus in-  
 ordinatus plurium disciplinarum;  
 cum quæque, etiam quando a-  
 liis intervrit, sua sibi fervet po-  
 mœria. *Occup. 2.* Clariss. Titius *(f)*  
*confusionis arguit recentiores*, quod  
 interpretationis doctrinam Lo-  
 gicæ inserant, cum potius in di-  
 sciplina quâdam generali, gene-  
 ralia interpretandi principia pro-  
 poni possint & debeant; præ-  
 fertim cum interpretatio certum  
 & speciale habeat objectum; *Resp.*  
 verum facilius hæc dicuntur  
 quam omnia probantur, nam  
 quod de confusione metuit, fru-  
 stra est, cum ex arte hac Hermene-  
 neutica, non major expectari  
 possit confusio, quam ex arte syl-  
 logistica

(f) in notis ad Pass. de off. H. & C.

logistica, doctrina demonstrati-  
 onis aliisque partibus, quæ per-  
 tractantur sine confusione in Lo-  
 gicis. *Requirit*, ut in disciplina  
 aliqua generali, generales nobis  
 tradantur interpretandi regulæ:  
 sed quæ possit esse disciplina vel  
 generalior vel universalior quam  
 Logica, quæ in *actu* directivo u-  
 sum atque fructum cuiusque par-  
 tis, etiam Hermeneuticæ, diffun-  
 dit per omnes Eruditionis huma-  
 næ partes. *Dicit*, Interpretatio-  
 nem certum & peculiare habe-  
 re objectum: Concedimus par-  
 tes disciplinarum habere sua par-  
 tialia objecta; Quæ tamen in ob-  
 jecto conveniunt communi. Si  
 quis tamen ex singulis Philoso-  
 phiæ rationalis capitibus peculi-  
 ares quasdam disciplinas vel sci-  
 entias efformare voluerit, ceu  
 scriptum scimus: *de Arte syllogi-  
 stica, de arte disputandi, de Dem-  
 stratio-*

*stratione, de Methodo, de Analyfi Logica &c.* non is nobis aduersari videbitur si modo omnes istas disciplinas, ad directionem intellectus referat, nec a ioco discedat. Frivolum tamen cum Cl. *Hilligero* existimamus esse, ex singulis ferme Logicæ capitibus, peculiare efformare disciplinas velle, cum entia non sint multiplicanda præter necessitatem. *Occur. 3.* Sunt alii qui doctrinam interpretationis ad jus Nat. seu Philosophiam moralem traduxerunt: at cum jus Nat. & Philosophia moralis in id imprimis incumbant, ut voluntatem corrigant & ad objectum suum dirigant, facile cuius patere existimamus, vel in actu exercito, ut loquimur in scholis; vel *facto non jure* doctrinam interpretationis ad jus Nat. siue Philosophiam moralem translata. Huc pertinent hæc iterum



rerum Dni Christ. Thomasi;  
 hinc vides, quæ ratione factum sit;  
 ut Theologi & Icti hæcæus de inter-  
 pretatione tractatus ediderint; quo-  
 niam enim hi instrumento isto  
 maxime habuerunt opus, & ve-  
 ro apud Philosophos id non de-  
 prehenderunt, necesse fuit ut i-  
 psi sibi de eo prospicerent. Si quis  
 itaque, quæ de sensu per inter-  
 pretationem eruendo, docentur,  
 etiam ad philologiam, Theolo-  
 giam & jurisprudentiam spectare  
 putaverit, nisi de applicatione ad  
 materias Theologicas vel juridi-  
 cas, vel etiam de partiali vel in-  
 directa & mutuo aliunde sumpta tra-  
 ctatione intelligi voluerit, multum  
 aberrat a Janua, ut loquitur Cla-  
 riss. Syrbius. Nam Logica verita-  
 tem ab aliis inventam & scriptis  
 expressam docet generalibus cer-  
 te præceptis in thesi eruere, non  
 vero

(g) *Instit. Ph. Rat. p. m. 327.*

vero in *hypothesi* & applicatione,  
 quæ est realium disciplinarum,  
 ut docet Cl. Halligerus (b)

§. III.

**Q**Uod vero *interpretationi* cui-  
 vis erudito danda sit opera,  
 plures urgent rationes; ea quip-  
 pe est conditio humani generis,  
 ut rerum omnium causas ipsi in-  
 vestigare nequeamus: omnia ex-  
 periundi non est cuiquam occa-  
 sio; veritatem in profundo la-  
 tentem sine auxilio aliorum eru-  
 ere nulli nostrum per omnia est  
 datum. Audiendi itaque & con-  
 sulendi sunt periti rerum, & in  
 subsidium vocandi qui de rebus  
 ad varias scientias pertinentibus,  
 quid memoriæ prodiderunt. His  
 intelligendis necessaria est inter-  
 pretatio. Neque enim omnia a-  
 deo clare atque perspicue sunt  
 ex-

(b) in *Inst. Log. Eccl.* p. 173.

exposita, ut conspicio non sit opus; nec amplius ignotum est, Logicam nostræ rationi præstare, quod sol mundo, medicina corpori; atque collyrium oculo, ut etiam docet Ictus πολυμαθία, Dns Hinr. Ern. Seebach introd. in Juris & politices atrium per viam Logices. *Necessitatem itaque hujus doctrinæ nemo, nisi cui Helleboro opus, negare poterit; nam cum verba loquentium sint signa non naturalia, sed saltim arbitraria: adeoque in diversos quandoque sensus accipi possint; maximopere est necessarium, nosse certas regulas, quibus genuinus eorundem sensus eruatur, ut idem ibidem monet (i) his addi possunt quæ habet Schneiderus in fundam Phil. Rat. p. m. 462.*

§. IV.

**E**st autem Interpretatio nobis hoc loco, *sensus orationis obscure*

(i) p. m. 588.

*scire per media Hermeneutica exponibilis evolutio.* Unde patet, quod hic non jam sollicite inquiramus, quomodo quis, suæ mentis agere interpretem queat, commodeque sua exprimere sensa animi, qui etiam dicuntur aliquando habere *donum Hermeneuticum sive interpretandi.* (k) hoc enim non jam est nostri instituti; nec quomodo exponenda sit aliqua oratio clara atque perspicua; cum hæc per se patere queat cuique, nec subsidio alicujus scientiæ opus habeat: Verum *orationis tantum obscura* nobis jam habetur ratio, hujusque non simpliciter *insolubilis*: sed per media Hermeneutica *exponibilis evolutio s. declaratio attenditur.* Vocatur alioquin *Ars Hermeneutica*; ab æquæ quod

(k) *Conf. Weisii Nucl. Log. p. m. 59. Sebachii Introd. in Atrium I & P. 308. Buddæi Phil. Inst. p. m. 191.*

quod proprie significat media-  
torem; metaphorice vero illum,  
qui obscura exponit. Hinc *scun-*  
*visia*, dicitur interpretatio sive  
*exegesis*; hoc tamen juxta non-  
nullos discrimine, quod illa tra-  
dat regulas interpretandi; hæc  
eas applicet (l). Aliquando *in-*  
*terpretatio* venire etiam solet no-  
mine *analyticae*, (m) Sed hac sæ-  
pius distinctione, quod nempe  
*interpretatio* verum alicujus loci  
sensum eruere doceat: *Analysis*  
veritatem ipsius conclusionis ex-  
aminat. Illa circa sensum tantum  
orationis, ut ut falsissimæ, versa-  
tur; hæc circa conclusionem in-  
de nascentem occupata: an o-  
ratio sit vera vel falsa, inquirat.  
(n) Convenit etiam *interpretatio*

B

cum

(l) Conf. Hillig. *Inst. Log. Eccl.* p. m.  
174. (m) Conf. Seb. in *Attr. Log.* pag.  
588. (n) Conf. Danb. *Eccl. Diat.* p.  
m 90. *Ejusd. Id. Boni Interp. part.*  
1. Sect. 2. *Ars. II. &c.*

cum *versione librorum*, quoties hæc magis ad sensum, quam verba directæ est; in eo tamen differt, quod interpretatio semper ad sensum libri cujusque investigandum verbis nunc paucioribus, nunc pluribus directæ est; Sed *versio* tantum occupatur in translatione libri simplicis ex uno linguæ idiomate in aliud. (o)

## §. V.

**S**ubjectum interpretationis non est omnis homo, sed qui ad hoc munus obeundum *necessariis est instructus dotibus*; quarum aliæ sunt, aliis etiam disciplinis addiscendis, *communes*. Huc pertinent *ingenium* felix ut omnibus adsequendis sit par; *judicium* incorruptum ne ex præconceptis facile leducatur opinionibus; *vigor memoriæ*, ne quid notandum præ-

(o) Conf. Schneidersi *fundam. Phil. Ratio* p. III. 463.

prætermittat; *Egregia & diuida Phantasia*, quæ cum in aliis disciplinis excolendis quam maxime requiratur, in interprete etiam, si absit, omnino desideratur; nam prothei instar cogitur sibi varias induere formas, orationi interpretandæ accommodatas, quarum exempla adferri possent plurima, si proposita id non prohiberet breuitas. Aliæ propriæ sunt interpretis virtutes; ut *pietas in voluntate*, ne studio sensum pervertat. *Perpicuitas in lingua & sermone*; ne orationem obscuram sua culpa reddat obscuriorem. *Zelus veritatis in affectibus*, ne minutissima prætermittat observanda, vel amore atq; odio abreptus peccet in bonæ interpretationis regulas; amore enim ductus alicujus auctoris prava sensa, illius solum intuitu, bene interpretari cupit; odio autem

incensus, alterius bonam intentionem in reprobum retorquet sensum. Denique *brevitatis studium* adsit interpreti; admodum enim tædiosa est ejus prolixitas, quæ uni rei explicandæ nimium quantum immoratur. Omnes quas sive *dotes* sive *virtutes* his versibus comprehendit Dns Danbaverus (p)

*Mentis imaginibus felix, & acuminem præstans*

*Affectu non corruptus, non segnis  
inersque,  
perspicuus, brevis & sit.*

quos prolixè explicuit ante in Idea B. interp. (q) Inprimis autem requiritur ut interpretes sit peritus (a) *Discipline*, quam ex instituto auctor, quem quis vult interpretari pertractat; sive *Theologicae* sit considerationis, sive *Philoso-*

(p) In *Epitome Dialectices* p. m. 91.

(q) *Part. 1. Sect. 1. Art. 3. §. 16.*



filosoficæ (b) *Grammaticæ* ob vo-  
 cum varios significatus; (c) *Criticæ*  
 propter textus considerandi vel  
 integritatem vel defectus; (d) *Rhe-*  
*toricæ* quæ docebit distinguere sty-  
 lum; (e) *Logicæ* quæ interpretandi  
 regulas suppeditabit; (f) *Philosophiæ*  
*moralis*, unde intentio, affectus  
 & occasio dicti vel facti repeten-  
 da est; (g) *Historiæ* tam auctoris,  
 quam rei propositæ &c. Si quis  
 autem hisce vel naturalibus, vel  
 acquisitis dotibus, quæ ad interpre-  
 tationem requiruntur, destituatur,  
 nec arte emendari iste defectus que-  
 at, nec necessaria instructus est  
 suppellectili libraria, bonis lexicis  
 verbalibus, realibus, commenta-  
 riis &c. recte facit, iudice Celeb.  
 Dno Buddæo, si interpretandi officium  
 aliis relinquat (r).

## §. VI.

(r) *Phil. Instrum. c. IV. §. XXXV.*

**O**bjectum interpretationis seu materia circa quam, est *oratio*; non quævis, sed *obscura*, ut §. I. innumus. Existere hæc *obscuritas* ex pluribus potest causis. Ratione *verborum* / *terminorum* vel 1. ex scripturæ forma deformi; vel 2. ex abbreviaturis vulgo minus notis, vel 3. ex sphaematibus scribarum atque Typographorum; vel 4. ex defectu vel vitio interpunctionum; vel 5. ex verbis obsoletis, novis, peregrinis, æquivocis, ambiguis, superfluis &c. quæ ideam auctoris in materia substrata, non satis exprimunt, sed alias nobis suppeditant sive notiones, sive conceptus. Ratione *propositionum* esse potest *obscuritas*, vel quia (a) non satis constat, quod propositionis sit subjectum, quod prædicatum; qui termini sint cate-

gore-

gorematici, qui syncategorematici, qui mixti; an ad subjectum vel prædicatum referendi; & quæ sunt hujusmodi alia; (quod ad connectendas atque explicandas ideas adhibeantur sæpius termini syncategorematici, seu particulae E. g. nomina adjectiva, pronomina, adverbia &c, nemini obscurum esse potest; ) vel quia  $\beta$ ) non statim advertimus an propositio aliquando sit vel affirmativa, vel negativa, universalis, vel particularis; Exclusiva, exclusi subjecti vel exclusi prædicati & quæ alia sunt hujus generis. Vel quia  $\gamma$ ) conjunguntur opposita atque subordinata, suppositio, ampliatio atque status & cetera. Ratione *sententiarum, periodarum*, atque *totius orationis* obscuritas inesse potest, vel  $\alpha$ ) quia res proponit auctor nobis plane ignotas, vel quia  $\beta$ ) hypo-

hypotheses ejus, symbola, formulas loquendi, idiotismos linguæ &c. non satis intelligimus. Speciatim in *Stylo Pœtico* oritur obscuritas, ex inusitata sermonis structura, quam metri ratio interdum postulat; ex frequentioribus audacioribusque translationibus & figuris; ex Mythologia interspersa &c. uti in *orationibus* quandoque orationis tumor, prolixitas, circumstantiæque rerum variarum, quas supponit facescunt interpreti molestias non leves. In *Stilo Historico* maxima itidem difficultas oritur ex ignorantia circumstantiarum, rituum, consuetudinum, &c. ut de *styli juridici, Medici, Pœvistici, Scripturarii* genio nil jam dicam, de quibus alii. ad Seeb. introd. Hillig. (s) aliosque.

## §. VII.

(s) *Inst. L. Eccl. Danb. Id B. int.*

## §. VII.

**S**ensus vero orationis obscuræ  
 seruendus, est *scopus* vel *finis*  
 quem intendat, necesse est, o-  
 mnis interpretis. Est autem *sen-*  
*sus*, cuius gratia interpretatio  
 instituitur, *significatio tam vocum,*  
*quam circumstantiarum, in facta o-*  
*ratione, ab auctore intenta.* Cum-  
 que unius cuiusque loci sensus genu-  
 inus proprius atque literalis non ni-  
 si unus esse possit, etiamsi ad di-  
 versa applicari queat, reliqui qui  
 vel scrupulose adducuntur, vel  
 ingeniose substituantur ab inter-  
 pretibus sensus, sunt *illati*: sen-  
 sum tam *innatum* quam *illatum*  
*significari* animadvertimus, vel  
*verbis propriis, vel impropriis, vel*  
*signo aliquo alio.* ab illo oritur:  
*sensus literalis proprius, qui pro-*  
*xime intenditur ab auctore in*  
*verbis propriis; ut si quis dixe-*  
*rit: Matutinum tempus ad studia per-*  
*tra-*

tractanda commodissimum est. Ab isto; sensus literalis improprius seu figuratus, qui ab auctore proxime intenditur, sed verbis tropo aliquo affectis; ut si quis alius dixerit: *aurora musis amica*. Ab hoc; sensus literalis, Symbolicus, sensus anagogicus, sensus Mysticus; ut cum *Saxetra pingens; Canem, qui morsu fertur in clavam aculeatam, invidiam depingit sibi met noxiam*. Unde patet, 1. sensum literæ Grammaticum, aliquando cum sensu mentis Logico s. literalis coincidere; aliquando differre. 2. Sensum Mysticum &c. non nisi per analogiam talem dici posse, cum absque sensu literalis esse nequeat, & is sensus habebitur, verus, genuinus atque literalis, qui menti & sententiæ auctoris est conformis. Hinc si quis sine symbolis scribat atque loquatur, is genuinus ejus sensus erit, quem verba quoad

vim significandi, rationemque structuræ, & quoad omnes circumstantias considerata fundunt, & quem auctori tribui, nulla alia obstat causa; ut loquitur Celeb. Dnus Buddæus.

(t) Si vero symbolis utatur, vel aliquo ænigmate, is verus & genuinus sensus ejus erit, quem sub symbolis seu imaginibus, per sensum literalem recte intellectis, latitare ex certis indiciis constat. Hinc etiam sensus Mysticus a quibusdam rectius, *accommodatio tantum sensus literalis mystica*, nuncupatur. Verum enimvero sensus literalis, de quo heic præcipue sumus solliciti, sua etiam habere solet criteria, ex quibus certo colligitur, hunc non alium esse auctoris sensum, ut si primæ verba deprehendantur incorrupta, quemadmodum ab ipso auctore sunt prolata; alioquin affingitur auctori sensus, quem

IS

(t) In Phil. Instr. p. m. 206.

is nunquam intendit. *Deinde* 2. si ipse *verborum & Phrasium* significatus nil habet dubii, nam quilibet auctor oratione sua præsumitur certo certius id voluisse, quod verba & Phrases indicant, ni manifeste contrarium probari queat. Si 3. *conditioni, statui, indoli ac affectibus utriusque partis*, tam scribentis, quam ejus ad quem scribit, *conveniat interpretatio*. Is enim sensus, qui cujusque statui, indoli, conditioni atque adfectui est conformis, quin pro vero & genuino haberi queat, nullum est dubium. 4. Si nulli *contradictioni* sit obnoxia explicatio sensus. Non facile præsumitur, ut vir prudens & eruditus temere sibi contradicat. (u) Hæc autem criteria *junctim* ad sensum alicu-

(u) *Conf. Bud. Phil. Instr. part. II. cap. 3. pag. 207. seq. Hillig. Inst. Log. Eccl. Part. II. s. 1, c. 3.*



alicujus orationis genuinum di-  
 judicandum, sunt adhibenda;  
 nam si unicum alterumve adsit,  
 cetera non item, non statim  
 certus orationis interpretandæ  
 sensus nobis obtrudi potest. Non  
 licet itaque inferre: hæc indoli  
 conditioni, ingenio eruditioni  
 auctoris sunt convenientia, ergo  
 is est verus & genuinus sensus;  
 nam aliquando *bonus dormitat Ho-  
 merus*. Nec sequitur: hic sensus  
 est clarus & evidens E, verus;  
 hic obscurus Ergo falsus; multæ  
 enim subesse possunt causæ, cur  
 obscurus potius pro vero aucto-  
 ris sensu, quam clarus & perspi-  
 cuus sit habendus. Nec proce-  
 dit ratiocinatio *in hoc sensu verum  
 est, quod dicit auctor*, E etiam hoc  
 sibi voluit; cum ab illo sensu, dis-  
 sentire potuerit auctor, & diver-  
 sas de re fovere opiniones.

## §. VIII.

**Q**uid ergo opus est tacto, ut  
 sensum, adsequi queamus  
 orationis alicujus obscuræ? quo-  
 modo procedendum erit? ali-  
 quando verba accipienda sunt  
 cum *amplificatione*, aliquando cum  
*restrictione*, aliquando *manentem*  
*in terminis simpliciter*. Hinc est  
 quod *interpretatio* apud Philoso-  
 phos communiter dividatur in  
*Declarativam Restrictivam & Exten-*  
*sivam*. *Declarativa* est quando ex  
 verbis in sermone repertis, aut cir-  
 cumstantiis adherentibus verum ac  
 genuinum auctoris cujusvis eruiamus  
 sensum adequate, circa quam ver-  
 ba 1. sunt attendenda, an *popu-*  
*laria* sint vel *artificialia*, utrorum-  
 que notitia ex Lexicis quidem  
 peti potest, priora tamen meli-  
 us ex populi, posteriora ex arti-  
 ficum usâ intelliguntur. Hinc  
 sequitur, terminos artis ex ana-  
 logi-

logia cujusvis scientiæ esse interpretandos. Theologicos ex usu Theologorum, Philosophicos ex consuetudine Philosophorum, Juridicos ex more in jure recepto. hinc cognitio factorum accedere etiam debet; licet enim facta verbis multo videantur clariora, nihilo tamen lecius hæc *ordinaria*, illa *extraordinaria* cogitationum ac idearum nostrarum sunt signa, quocirca etiam magis ad verba quam facta attendi solet. Deinde 2. hic etiam circumstantiæ, observandæ tam *antecedentes*, quæ factum præcedunt, minimum ordine existendi; E. g. minæ, insidiæ, incæde &c. quæ *specificantes*, quæ certam facto speciem addunt; ut subjectum, objectum, finis &c. *Concomitantes*, quæ ira adhærent facto, ut simul cum eodem existant; ut locus, tempus &c. & denique *consequentes*, quæ factum

qui-

quidem sequuntur, non tamen  
 semper cum singulari effectu;  
 ut laus in factis honestis. Quod  
 ad *Restriptionem* attinet interpreta-  
 tionem; *hec ad mentem auctoris,*  
*ob rationes minus universales, sen-*  
*sus restringit atque coarctat.* At-  
 que locum habet tam in sacris  
 quam profanis, praecipue vero  
 in exceptionibus, limitationibus &  
 restrictionibus legum & senten-  
 tiarum. *Extensiva* denique inter-  
 pretatio huc est opposita, *que ex*  
*ratione universali, eaque sufficienti,*  
*sensum auctoris deducit.* Atque  
 haec circa amplificationes versa-  
 tur; omnibus enim, qui vel le-  
 vi saltem legum tincti sunt noti-  
 tia, constat, tot casus omnino  
 dari posse, ut circa illos omnes,  
 lex vix ac ne vix quidem certi  
 quid statuere valeat; igitur recte  
 administrator legum similia et-  
 iam loca ad ejusmodi casus ad-  
 pli-

phicat, si aliquam duntaxat affinitatem cum iis habere queant. Pluribus interpretationis divisionibus, quæ apud Philosophiæ rationalis scriptores magno numero inveniuntur, consulto superfedemus recensendis, utpote quæ ad triplicem hanc commodissime referri possunt.

#### §. IX.

**S**ed habent nautæ suas *regulas* quarum adminiculo cursum suæ navigationis dirigunt; quas sive *Cynosuras*, sive *duces*, sive *normas* appellaris, per inde nobis erit: quæ autem illæ sunt *regule*, quas interpretaturus *Cynosura* instar sequatur, ne ad dextram vel sinistram deflectat; sed regia incedat via? illas *media* nobis suppeditabunt *Hermenutica*; quæ diversa constituuntur a diversis: Sed si adsit idoneus interpretes, qui non

C

tan.

34  
tantum gaudet dotibus § V. explicatis; verum iis quoque in obvia quavis oratione obscura, ejusque causis explicandis, ad notata quæ dedimus, §. VI. VII. VIII. uti didicit, putaverim cum Cl. Syrbio atque Phil. Frid. Hanc duo nobis sufficere medi-: contextum & parallelismum. Per contextum non verborum tantum ad se invicem relationem, sed argumenti quoque præcedentem quædam cognitionem intelligimus; itemque quæ de occasione scribendi, conditione auctoris, animo, affectu, scopo, atque intentione ipsius huc faciunt; jocone an serio, an ex instituto, vel incidenti; exercitii an docendi gratia &c. locutus sit auctor. Ex relatione verborum ad se invicem nascitur contextus verbalis; ex connectione rerum contextus realis. Parallelismus est relatio verborum

inter

interpretandarum ad alia, quæ  
 alibi locorum exstare possunt.  
 Ubi si idem argumentum tractetur,  
*Parallelismus realis* habetur;  
*verbalis autem* si eadem tantum  
 verba æstimentur, sive in eodem,  
 sive in diverso argumento adhi-  
 bita. Ex his *fluunt* sequentes in-  
 primis *regulæ*: 1. Si in ideis & re-  
 bus ipsis est causa obscuritatis, ca-  
 veamus ne eam quæramus in verbis  
 & sermone. 2. ne in iocum perspi-  
 cuitatem in sensu auctoris quæramus,  
 quam qua usus est. 3. vocabula re-  
 rum explicanda sunt non ad eorum  
 originem, sed eorundem usum. 4. In-  
 terpretatio explicativa seu gramma-  
 tica, si recedat a mentali nulla est. 5.  
 A significatione verborum primæva sive  
 propria sine manifesta necessitate non  
 est recedendum. 6. si verba crude &  
 simpliciter accepta, vel nullum, vel  
 absurdum aliquem effectum post se  
 essent tractura, a receptiori sen-  
 su

su paulisper est recedendum, 7. Ver-  
 ba sunt regulariter intelligenda se-  
 cundum substratam materiam, 8. Ta-  
 lia sunt predicata qualia premittun-  
 tur a suis subjectis, & contra, 9.  
 Obscura locutiones explicande sunt  
 ex ejusdem auctoris loco planiori,  
 licet alio tempore & loco prolata,  
 nisi manifeste appareat ipsum  
 sententiam mutasse. 10. Quacun-  
 que interpretatio hypothesis, scopo &  
 fini auctoris; item rationi legis aut  
 pacti est conveniens, ea est sequen-  
 da; rejicienda contra, que ei repu-  
 gnat. 11. Quilibet optimus est ver-  
 borum suorum interpretes. 12. vel er-  
 eat, vel casu vera dicit, qui vel  
 de verbis alicujus ante judicat, quam  
 consuluerit auctorem, & de sensu i-  
 psius genuino fuerit certus.

§ X.

**E**X quibus omnibus jam con-  
 stare existimo, quod boni in-  
 terpre-



interpretis sit officium; ut scilicet 1. ad sermonis & facti genus attendat. 2. sensum auctoris genuinum eruat, non ex verbis tantum nudis, sed ex aliis etiam circumstantiis adjacentibus. Sensum denique 3. illius ipsius probe, vindicet, & ad vitæ usum applicet. Si tamen tanta adsit sensus obscuritas, ut omne studium & omnem industriam interpretis fallat penitus, nec tolli ulla ratione queat, satius erit vel ab interpretatione plane abstinere, vel iudicium suspendere, quam vel aliena vel incerta statuere. Restant adhuc aliqua dicenda de bonæ interpretationis impedimentis; de intellectus defectibus, & voluntatis vitiis &c. Verum hæc partim ex dictis elucent, partim alia occasione cum Deo commodius forte explicari poterunt; Hæc jam me filium scriptiois hac occasione

8  
tione abrumpere cogunt tempo-  
ris, *ingenii*, & præcipue *ratio*  
*supellectilis* per quam exiguæ. In  
posterum autem Si Deo O. M. pla-  
cuerit vitam & vires clementer  
largiri; plura de nobilissimo hoc  
ce sum traditurus argumento;  
hæc ingenue fateri necessum ha-  
beam, me neque hætenus po-  
tuisse; neque in posterum, illud  
uti dignitas eiusdem postulat un-  
quam expendere valere; vires  
tamen meas hoc in negotio sat  
inbecillas periclitari cum satago,  
confido certo certius Te C. L.  
omnia benigne accepturum, &  
innoxia hæc tentamina æqui-  
bonique consulturum; nam in  
magnis etiam voluisse sat est.

TANTUM.

